



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Traiani ductoris exercitus linguae libertate. Cap. XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

Valēs accepto libello supplici, & cognitis rebus, quæ in eo  
cōtinebantur, admodū stomachatus, illum dilaceravit, ius-  
fitque ut alias res peteret. Terentius verò, collectis laceris  
libelli particulis, accepi, inquit, iam abs te, o Imperator, do-  
num, habeo quæ neq; aliud petā. Nam quid ego animo iu-  
stituerim, iudicet ille, qui huius vniuersitatis iudex est.

*De Traiani ducoris exercitus linguae liber-  
tate.* CAP. XXIX.

**V**Alens, vbi traecto Bosphoro, venit in Thraciam,  
primùm quoniam bellum vehementer extimescebat,  
longo tempore Constantinopoli ipse cōnoratus est:  
Traianumqne ducem contra Barbaros misit cū exercitu.  
At postquā Traianus ab hostibus superatus reuertit, Valēs  
illū conuitijs valde lacerare, & mollitatem ignauiamqne ei  
objicere cœpit. At ille liberè, vti virum generosum dece-  
bat, nō ego, inquit, o Imperator victus sum, sed tu ipse pro-  
didisti victoram, qui contra deum aciem instruere non de-  
finis, & ita eius auxilium Barbaris concilias. Nā abs te op-  
pugnatus, se illis adiungit. Atque deum semper sequitur  
victoria, & ad eos accedit, quibus deus se ducem præbet.  
Non nosti, inquit, quos viros ecclesiis expuleris, & qui-  
bus eas tradideris? Ista quidē ita se habere & Arintheus, &  
Victor, qui duces quoq; erant, ingenue confessi sunt: im-  
peratoremqne hortati, ne reprehensiones cum veritate cō-  
iunctas iniquo animo ferret.

*De Isaacio monacho Constantinopolitano, & Bre-  
tanionis Scythiae episcopi in coar-  
guendo austerioritate.*

CAP. XXX.

**F**erunt Isaacē, qui in eo loco cellam habebat monasticā,  
vbi vidit Valentem cum exercitu egredi, contenta vo-  
ce ei dixisse: Quo proficeris, o imperator, qui auxi-  
lio dei, quem contra bellū getseris, prorsus destitutus es?  
Nam quoniā tu multorū linguas ad blasphemias aduersus  
eum loquendas acuisti, & pios laudibus illum celebrantes  
ecclesiis exturbasti, idcirco ille Barbaros aduersus te cōci-  
tauit.